



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. VI. Vtrùm Celladeus meritò deseruerit benignam sententiam ob
auctoritatem Sacræ Scripturæ, & Sancti Augustini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

QUÆSTIO SEXTA.

Vtrum Celladeus merito deseruerit benignam sententiam ob auctoritatem Sacra Scripturae, & Sancti Augustini.

Celladeus 1. deseruit benignam sententiam.



UI diu alicui sectæ aut opinioni adhererent, non leuem illi notam inorunt, quando, post longam illius considerationem, tandem eam deserunt, & oppositæ assensum præbent: quod maxime verum est, quando merito sententiam mutauerunt. Celladeus ergo, ut etiam ex hac præsumptione benignæ sententiæ detrahat, aperte fateatur, se multis annis adeo fixum in illâ fuisse, ut vix patienter audire potuisset quemquam, qui illam in dubium vocare ausus fuisset. Hoc tamen non obstante, asserit, se tandem, veritate victum, mutasse sententiam; & ne immerito eam deseruisse videatur, statim ab initio sui operis plura allegat, quæ illum non solum terruerunt, sed etiam aliam inire viam coegerunt. Quocirca operæ pretium erit præterita hæc motiva examinare, earumque insufficientiam ostendere. Incipio à locis ex Sacra Scripturâ & S. August. desumptis, quia illa summi sunt momenti, & si ipsi faverent, & me, & omnes cordatos ad idem cum ipso sententiam pellicerent. Reliqua in aliis quæstionibus examinanda erunt. Sit ergo.

ASSERTIO UNICA.

Auctoritates Sacra Scripturae atque S. Augustini, à Celladeo initio sui libri allata, non continent motiuum sufficiens ad recedendum à communi sententiâ, sed potius suadent in eâ manendum.

Sed sine fundamento eam deseruit.

2. **PROBATUR** assertio examine textuum, quos citat; ex illorum enim ponderatione, verum inuenietur quod dico. Cæterum aptiorem viam eos examinandi non inuenio, quam si per modum objectionum proponantur; sic enim breuius & expeditius ad intentum perueniam.

SACRA SCRIPTURA

Celladeo non faret.

OBJICIES primò. Qui tradunt probabilitatem sufficere ad regulandam conscientiam, redarguuntur à Prophetâ Isaiâ cap. 5. nu. 20. dicente. *Ve qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Certum enim est, eos, qui Theologiam ac Summas casuum scripserunt, plurima solum probabiliter resoluisse, & in aliquibus deceptos fuisse. Eo ipso autem quòd errarent, dicunt bonum malum, aut malum bonum; alioqui non errarent. Ergo subjiciuntur *ve* à Prophetâ intentato. Quis ergo talem doctrinam tradere audebit?

Rursus, *Marci 7. vers. 7.* Christus hanc sententiam protulit: *In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.* Unde sic argui potest. Qui docet opinionem, etiam proba-

biliorem, si erret, non Dei sed hominum doctrinam docet. Ita ferme Celladeus lib. 1. *quæst. 1.* §. 4. qui hæc S. Scripturæ locis teritur, & à communi sententiâ merito revocatum se fuisse declarat.

3. Respondeo inprimis, Celladeum, hæc quasi periculosa contra alios objicentem, propriam sententiâ seipsum illaqueare, atque ore proprio quoddammodo condemnare. Qui enim sic objicit, fateatur, *ve* illud Propheticum omnes in materiâ morum errantes impetere. Ergo si Celladeus erret, *ve* illud illum impetit; quia unusquisque secundum propriam conscientiam iudicatur. Hinc contra te, Celladee, sic arguo: Tu dicis, licitum non esse sequi probabilia, immò nec probabiliora. Tu asseris, solam veritatem esse sufficientem conscientiam regulam. Tu dicis, opus ex ignorantia invincibili peractum bonum non esse, licet non sit malum. Tu plurima istiusmodi in progressu doces. Ergo periculo summo te committis; si enim erres, *ve* Propheticum capiti tuo imminet, quia aut malum bonum, aut bonum dicis esse malum. Si erres, salvatoris sententia te premit, quia non Dei, sed hominum doctrinam tradis. Sed quòd non erres, certum non est; quòd erres, probabilissimum, quia in omnibus à communi Doctorum tramite declinas, & in multis propriam contra unanimem aliorum omnium sententiam tenes. In talibus autem probabilissimum est errorem non vitari, quod loquendo de collectione opinionum moraliter certum est. Sed & suis locis te in omnibus errasse demonstrabo. Cur ergo contra propriam sententiam tanto periculo te committis?

4. Respondeo secundò, cum Sancto Thomâ, *quodl. 9. art. 15.* quæstionem dubiam de moribus periculose determinari, in quacumque partem resolvatur, quia non minus periculosum est conscientiam nimis actare, quam eas minimum laxare. Munus ergo Theologi est, ut mature rem consideret, & quod rationi magis consentaneum repererit, id demum enunciet. Auctores benignæ sententiæ ita fecerunt. Ergo nullum illis *ve* imminet, si errent, quia munus suum impleverunt. Sancti ipsi, Bonaventura, Thomas, Antoninus, aliique contraria de moribus tradiderunt, ac proinde aliqui illorum malum bonum, aut bonum malum vocaverunt, & doctrinam hominum, non Dei tradiderunt. Anpe ideo quisquam illorum terribili illi Prophetæ *ve* obnoxius fuit? minimè. Itaque certum est, sæpe malum bonum, aut bonum dici malum, doctrinasque non Dei, sed hominum doceri, absque incurfu, immò absque magno periculo incurrendi *ve* Prophetici, quia illud non tangit eos, qui in rebus verè incertis post diligentem veritatis indagationem rationabiliter & probabiliter quæstionem resolvunt; hi enim certò sibi persuadent, se, de hoc labore suo, quamvis ex humanâ infirmitate erraverint, non vituperationem & poenam sed laudem & præmium reportaturos. At Celladeus, qui sibi ipsi periculum statuit, erroremque etiam

Sacra Scriptura non faret Celladeo, sed eum arguit.

Theologi munus periculosum est, & cur?

etiam materialem vitio vertit, habet unde timeat; debuisseque à talium descriptione abstinere; sic enim tutus fuisset. Quomodo autem aliter tutus fuerit, haud apparet, nisi in praxi à sua sententiâ recesserit.

In incertis opinio probabilis sine periculo tenetur.

5. Præterea peto à Celladeo, quosnam asserre possit sacrae Scripturæ Interpretes, qui loca ista in sensu ab illo intento intelligant? Si nullos (nullos autem asserre potest) quomodo audeat sacras literas ad alienos sensus detorque? Itaque Interpretes ita loca ista exponunt, ut ii tantum reprehendantur, qui vitia pro virtutibus prædicant, ut moderni hæretici, qui votum castitatis repudiant ut malum, quique matrimonium post votum etiam solemne castitatis honestum prædicant, &c. Reprehendendi ergo sunt illi soli, qui in rebus certis veritatem delerunt, aut in incertis absque sufficienti indagatione effutunt quod sibi commodum, aut honorificum putant. At qui in rebus verè incertis, atque hinc inde probabilibus (quæ est casus noster) post diligens examen, rationabili fundamento moti, alterutram partem amplectuntur, nulli periculo obnoxii sunt, alioquin nemo sacrae Scripturæ, Jurisprudentiæ, aut Theologiæ absque evidenti animæ periculo operam navare, aut ullam in fidei & morum materiâ sententiam incertam tenere posset; quo nil absurdius dici potest.

SANCTUS AUGUSTINUS

Celladeo non favet.

An ulla ignorantia fuerit insuperabilis Augustino?

6. OBJICIT secundò. August. lib. de utilitate credendi cap. 8. hæc habet. *Ut enim trans mare absque cantabundis atque hesitans, quid mihi tenendum, quidve dimitendum esset, &c. sepe mihi videbatur non posse inveniri, magnis fluctibus cogitationum mearum in Academicorum suffragia ferrebatur. Sepe rursus intuens, quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam sagacem, tam perspicacem, non putabam latere veritatem, nisi quòd in ea modus quaerendi lateret, eundemq; ipsum modum ab aliqua divinâ auctoritate esse sumendum. Ecce Augustinus, in fractus veritatis indagator, fateatur veritatem ipsam erui posse, si debite quaeratur; eamque ipse tam in materiâ morum quam fidei tam certò affectus est, ut nemo negare possit citra errorem; eum Cælo positum esse. Fieri enim non potest (inquit idem Aug. de quant. animæ cap. 13) quâdam providentiâ divinâ, ut religiosi animi seipsos & Deum suum, id est, veritatem piè, castè, & diligenter quaerentibus inveniendâ facultas desit. Unde sic arguere licet. Veritas debite quaesita inveniri potest, Augustino non solum teste luculento, sed manifestò exemplo. Ergo qui errant, culpabiliter errant. Ergo sola veritas, non opinio, est regula morum. Ita Celladeus lib. 1. quaest. 1. §. 4. Ubi omnino alludere videtur ad illationem à me factam, quamvis eam non expressè intulerit. Nec mirum, quia ille, aut nullum, aut vix ullum errorem invincibilem in materiâ fidei & morum, præsertim circa jus divinum, admittit. Et sanè nisi ita inferat, frustra præmissas illas posuit.*

Error Celladei detegitur.

7. Respondeo, Celladeum certò errare, sive velit nullam prorsus veritatem latere quemquam debite quaerentem, sive se ad fidei morumque materiam restringat; quia innumera veritates ad fidem moresque spectantes ita latent, ut à nemine certò dignosci possint. Argumento sit, Sanctissimos doctissimosque viros, Thomam, Bo-

naventuram, aliosque, de iisdem rebus errantes, in oppositas abuisse sententias, aliosque ita post se traxisse, ut adhuc post omnem conatum certò scire nequeamus, ex quâ parte veritas lateat. Quod si Celladeus adhuc dubitet, & contrarium sentiat, apertè fallitur. Unde nil refert, si in re tam apertâ adhuc reclamare pergat.

8. Sed quid ad Augustinum, quem citavit? Respondeo, Aug. certissimè nobiscum sentire, quia multis in locis ignorantiam in agendis ac docendis sibi insuperabilem agnoscit. Audiatur in tract. ad Orosium contra Priscillianitas & Origenistas, cap. 11. *Esse Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates in caelestibus apparatibus, firmissimè credo, & asserere inter se aliquid indubitata fide teno. Sed (nota viri humilitatem) quo me contemnas, quid inter se differant nescio.* Mox modè de hujus ignorantia imputabilitate sic subjungit. *Nec eâ sanè ignorantia periclitari me puto, sicuti in obedientiâ, si Domini præcepta neglexero.* Hactenus de speculativis quaestionibus aliquo modo ad fidem spectantibus loquitur Aug. sed paulò post cap. 12. de rebus nobis propinquantibus, earumque ignorantia plura subjungit, & quidem in rebus summi momenti, qualis est illa, an omnes animæ ab unâ procedant, dicitque se vehementer optare & expetere, ut per Orosii preces Deus hanc à se ignorantiam auferat, & sic concludit. *Tamen si quod absit, minime meturo; patientiam mihi peto à Domino Deo nostro. In quem sic credimus, ut aliqua nobis non aperiri etiam pulsantibus, nullo modo adversus eum murmurare debeamus.* Et paulò post. *Multa alia similiter nescio, quæ commemorare, vel numerare non possum, & hoc tolerabiliter ignorarem, nisi (nota bene) metuerem, ne aliqua istarum opinionum contra illud, quod firmissimè retinemus fide, incautus obreperet mentibus. Rursum lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 16. post medium; dubitat, an uxor à marito dimissa committat Mœchiam, si priore marito superstitite, alteri viro copuletur: Si autem, inquit, dimittatur à viro, cum quo esse cupiebat, mœchatur quidem, qui eam duxerit secundum Domini sententiam, sed utrum & ipsa tali crimine teneatur, incertum est. Ibidem paulò infra dicitur; an aliquando liceat uxori, consentiente marito, alteri committeri, & hæc subdit. *Quamquam nonnullæ causæ possint existere, ubi & uxor, mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur; sicut Antiochia factum esse perhibetur.* Mox, relato casu illo Antiocheno, sic concludit: *Nil hic in alteram partem disputo, liceat cuique estimare quod velit.* Sed & epistola 65. ad Paulinum, legenda est, in qua frequentes suas circa Dei legem hæsitaciones & ignorantiam Paulino exponit. Certum ergo est, multas veritates & speculativas & practicas, ad fidem & mores spectantes, Augustinum latuisse, nec alium testem cupio, quam Augustinum ipsum, qui talia de se proficitur, qualia proferre debuisset, si totum Celladèi intentum, ex professo evertere satagisset.*

9. Itaque dico, Augustinum, locis à Celladeo citatis, de illis solum agere, quæ sunt si simpliciter necessaria, seu necessaria necessitate mediæ ad salutem. Probatur hoc, quia in lib. de utilitate credendi expressè agit de inveniendâ verâ Fidei Catholicâ, ut patet ex contextu; illa autem est absolute necessaria ad salutem. Cæterum in eodem libro plurima tradit de ignorantia & errore prorsus invincibili, quibus homines decepti agunt, quæ ex veritate agere non debent; talia sunt negare obedientiam veris parentibus, &

Augustinum fateatur in multis ignorantiam sibi fuisse insuperabilem.

Necessaria ad salutem neminem debite quaerentem latent.

illam

illam reputatis tantum parentibus tribuere, & alia ejusmodi. Homines tamen sic decepti, & talia agentes, non peccant, sed laudabiliter operantur. Hæc Augustini Doctrina totum Celladei intentum, atque operis ipsius scopum prorsus evertit. In altero autem libro agit de inveniendi Deo, & de animæ immortalitate, quorum utrumque est necessariò credendum ad salutem. At de necessariis necessitate medii omnes Catholici uno ore fatentur, ea ab omnibus, divina providentia opulante, inveniri posse, ac tandem inveniri, si debitè querantur; quia facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, nec ea cuiquam abscondit, sine quibus sibi vitam æternam parare non potest. Itaque Celladeus, qui ex illis locis contendit, Augustinum ea tamquam universalia tradere, quæ in illis expressit, verè abutitur auctoritate Augustini, eumque sibi contradicere cogit; cum si communis Scholarum distinctio adhibeatur, omnia facillimè conciliantur. Cæterum verba, quæ Celladeus citat ex libro de quantitate animæ, non sunt in loco, nec propè locum, quem Celladeus indicat. Nec tamen audeo dicere, quòd in toto libro non reperiantur.

10. Præterea hæc dicta Augustini, in sensu universalissimo accepta, Celladeo non favent. Queritur enim, an sententia benigna docens probabilium usum esse licitum, an sententia rigida opposita sit vera? Communis opinio Celladeum, ille communem opinionem erroris arguit. Ille citat Augustinum in genere dicentem, veritatem tanti momenti neminem debitè illam querentem latere. Quid hoc ad rem? an nò ideo nostra sententia falsa, & illa Celladei vera esse probatur? ubi hoc dicit Augustinus? Afferatur locus, qui apparenter saltem hoc dicat. Non fiat focus per auctoritates non magis uni quàm alteri parti faventes, quia hoc est ludere magis, quàm seriò agere.

11. Sed quid dico ego has auctoritates non uni potius, quàm alteri parti favere? illa certè, si in sensu à Celladeo intento sumantur, nobis favent. Certum enim est, plures ex Auctoribus & sequacibus benignæ sententiæ fuisse viros omni doctrinæ ac sanctitatis genere conspicuos; quos citatos habes quæst. 22. de conscientia probabili, & inter eos, SS. Thomam, Bonaventuram, Antoninum, Bernardinum, Franciscum Salesium numeratos invenies. Incredibile autem est, neminem ex omnibus veritatem hanc debitè quaesivisse, aut illuminationem à Deo humiliter constantèrque petivisse, atque etiam impetrasse, cum res sit summi momenti, & ad conscientiarum directionem maximè serviat. Atqui omnes isti veram habuerunt benignam sententiam. Ergo illa est, & præsumi debet vera; eò quòd Deus præsumator viris tam sanctis singulari providentiâ astivisse, eosque in unanimum hanc sententiam induxisse. E contra, nemo pari confidentiâ præsumere potest, Celladeum aut tantâ instantiâ petivisse, aut tantâ humilitate ac probitate peculiaris illuminationem meruisse. Neque enim agrè feret vir doctus juxta ac pius, si cum universitati omnium Auctorum nobis faventium in his non nihil cedere præsumamus. Audiatur Aug. lib. de quantitate animæ cap. 7. Aliud est cum auctoritati credimus, aliud cum rationi. Auctoritati credere magnum compendium est, & nullus labor. Et paulò post. Tales enim homines (id est imperitiores, quorum animos tardiores implicatoresque esse proximè dixerat). quorum professio maxima multitudo

Utile est imperitioribus sequi benignam sententiam ex mente Augustini.

est, si ratione velint verum comprehendere, similitudinibus rationum facile decipiuntur, & in varias noxiâq; opiniones ita labuntur, ut emergere inde ac liberari aut nunquam aut ægerimè queant. Hic ergo utilissimum est excellentissimæ auctoritati credere, & secundum hoc agere vitam: quod si tutius putas, non solum nihil refuso, sed etiam multum approbo. Ecce Augustinus maximæ hominum parti suadet, atque tamquam tutius proponit, ut excellentissimæ auctoritati credat. At certum est, auctoritatem benignæ sententiæ faventem, quantum in rebus humanis haberi potest, esse excellentissimam; eam autem, quæ contrariatur, & esse & præsumi debere longè inferiorem. Hoc maximè locum habet adversus singularem Celladei sententiam, cujus rationes longè etiam inferiores nostris inveniet, qui præsentem tractatum perlegerit. Ergo ex mente Augustini utilissimum, imò & tutius est benignæ sententiæ, quàm singulari Celladei opinionationi adherere.

12. Sed & alibi plura in eundem scopum, ob Idem ex 22 servatu dignissima, tradit Augustinus. Lib. de utilio loco litate credendi cap. 7. hæc habet. Querendi sunt Aug. probatur. hujus rei (religionis) professores. Fac nos reperisse, alios aliud opinantes, & diversitate opinionum ad se quemq; trahere cupientes, sed inter hos excellere fama interim celebritate quosdam, atque omnium pene occupatione populorum. Verum isti verum teneant magna quaestio est. Sed nòne prius sunt explorandi, ut quamdiu erramus, siquidem homines sumus, cum ipso genere humano errasse videamur. Ecce, cum præsens quaestio maximi momenti sit, atque in eâ alios aliud opinantes inveniamus, ex mente Augustini ita nos gerere debemus, ut dum veritas inquiratur, eos sceleremus, qui famæ celebritate, omniumque consensu populorum alii præcellunt. Certum autem est, tales esse nostræ sententiæ patronos, quibus proinde inhærendum est, ut quamdiu erramus, cum humano genere potius, quàm cum paucis non tantæ famæ hominibus erramus.

13. Rursus in eodem lib. cap. 12. hæc habet August. Nemini dubium est, omnes homines, aut stultos, aut sapientes esse. Nunc autem sapientes voco, non cordatos & ingeniosos homines, sed eos, quibus inest, quanta inesse homini potest, ipsius hominis Deiq; firmisimè percepta cognitio, atque huic cognitioni vita moresque congruentes. Ceteros autem, & scilicet stultorum in numero deputaverim. Quæ cum ita sint, quis mediocriter intelligens non planè viderit, stultis utilius atque salubrius esse præceptis obtemperare sapientium, quàm suo judicio vitam degere? Unde sic discurret: si hoc in omni vitæ genere expediat, idem à fortiori locum habet in religione. Et sanè haud dubiè idem ex mente Augusti, locum habet in moralibus, quæ ad religionem pertinent; cum eadem de omnibus ratio ex æquo procedat. Unde sic arguo. Certum est, plures ex Auctoribus benignæ sententiæ fuisse, quales Augustinus hoc loco vocat sapientes. Ergo ex mente ipsius, & ex ipsâ veritate, utilius ac salubrius sibi consulunt, non solum ignorantes, sed cordati etiam & ingeniosi homines, si ex illorum præceptis atque sententiis, quàm ex proprio judicio vitam instituant. Ergo ex mente Augustini tuti sunt, qui sequuntur benignam sententiam, non ab uno tantum sapiente, sed ab omnibus unanimiter traditam, donec à paucis annis pauci quidam homines eam in controversiam revocârunt.

14. Dices. Idem argumentum favet adversariis, cum aliqui etiam illorum sint & reputari debeant sapientes. Ergo aliorum erit illorum mente Augusti

Alius textus Aug. id ipsum probat.

Non omnes ingeniosi & cordati sunt sapientes ex mente Augusti

rum præceptis non proprio iudicio vitam dēgere.

Respondeo, Augustinum satis explicasse, quos sapientes appellarit. Ego, si juxta strictam illius hoc loco explicationem loquamur, ultrò fateor me inter stultos ab illo esse comprehensum. De adversariis autem loquuntur, quia res invidiosa est, admitto illos & cordatos esse & ingeniosos, doctosque ac probos, neque tamen quemquam illorum puto ea sibi tribuere, aut ab aliis tribuenda existimare, quæ Augustinus ad sapientem constituendum hoc loco requirit. Inprimis neminem illorum præstanti famâ sanctitatis excellere hæcenus audivi. Hoc tamen juxta Augustinum ad sapientiam requiritur. Rursus opera illorum hæcenus edita non ostendunt, illos habuisse tantam sui Deique cognitionem firmissimè perceptam, quanta homini inesse potest. Et tamen hoc etiam Augustinus ad sapientem constituendum requirit. Ego certè opera fermè omnium evolvi, in quibus, ut ostendo in tract. de cons. prob. plura dissona, sibi quæ contradicentia reperi, non paucas hallucinationes, rerumque confusiones detexi; & quod plus est, inveni eos impugnare sententiam benignam non in sensu, quo à nobis defenditur, sed in sensu ab ipsis tantum imaginato. Similia etiam in libro Celladei, & quidem numero plurima, contineri, omnibus in progressu ostendam; adeò ut elogium doctrinæ, juxta mentem Augustini, sapienti tribuendæ nulli illorum audeam ascribere, quamvis omnes & singulos magno honore prosequar, illosque doctrinæ ac probitatis non vulgaris viros esse palam profitear. Ergo juxta mentem Augustini tam ego, quam alii omnes, infra gradum sapientiæ ab illo positum constituti, utilius ac salubrius vitam instituijmus juxta præscriptum benignæ sententiæ, quam si aut proprio iudicio, aut aliorum cordatorum & ingeniosorum sententiâ nos gubernemus.

Celladeus immeritò recessit à benignâ sententiâ.

15. Ex his apertè sequitur, Auctoritates à Celladeo hoc loco allatas non continere sufficiens motivum ad recedendum à communi sententiâ, sed è contrario suadent in eâ manendum. Et sanè Augustinus in libris à Celladeo contra nos citatis tam apertè loquitur in favorem benignæ sententiæ, ut nemo non videat, utilius tutiusque esse, illi quam contrariæ fidem dare, si quis juxta

præscripta Augustini regulam vivendi sibi assumat.

16. Unum hæc adverto, & finis, scilicet sacram scripturam & SS. PP. ex æquo damnare eos, qui nimis stringunt; ac qui nimis laxant, hæc plures vel significantiores textus proferri contra laxantes, quam contra stringentes. Unde certum est, omnia ejusmodi frustra & abs re afferri, nisi probetur minor; scilicet aut quod benigna sententia nimis laxet, aut quod rigida nimis arctet. At adversarii toti sunt in cumulandis textibus, qui nimis laxantes culpant, parum autem aut nil dicunt de minori, scilicet; quòd benigna sententia nimis laxet, cum tamen de hoc solum sit difficultas. E contra nos rarè urgemus textus reprehendentes nimium stringentes, quia scimus, tam illos quam textus contra nos allatos potissimè intelligi de dogmatibus certis; adeo ut solum illo reprehendant, qui certò honesta persuadent esse inhonestæ, aut qui certò mala proponunt ut licita. Cæterum aliquando urgemus textus illos, sed tunc toti sumus in probandâ minori, scilicet, quòd doctrina adversariorum nimium stringat, ut apparet ex tract. de conscientia prob. & ex præfati tractatu certius apparebit. Inde autem legitime inferimus, rigidam sententiam esse falsam.

Scriptura & PP. a quæ reprehendunt laxantes ac stringentes.

Cæterum non opus est textus illos, aut à nobis contra adversarios allegabiles, aut ab ipsis contra nos citati solitos afferri, id enim esset actum agere. Qui eos præclarè examinatos videre cupit, legat appendicem Esparzæ, qui ab art. 14. ad. 67. omnia huc spectantia, contra Sinnichium luculentissimè tractat, clarissimeque demonstrat, ea omnia abs te contra nos afferri, cum nullo modo juvent ad probandum, quòd benigna sententia nimis laxet; in quo tamen solo tota difficultas vertitur. Certè tam plenè rem hanc tractat, ut nil ad plenissimam Lectoris satisfactionem deesse videatur. Proinde librum illum cenfeo esse dignissimum, qui ab omnibus veritatis amatoribus diligenter perlegatur, quia demonstrat, quam frivola & nulla sint argumenta ab adversariis benignæ sententiæ contra nos congesta. Ad illum ergo subinde Lectorem remittam pro pleniore rei declaratione, postquam ipse argumentis ad meum institutum spectantibus ea attulero, quæ Lectori satisfacere possint.

Esparza & omnes hujusmodi textus egregiè tractat.



H

QUÆ